



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

Hydropicus.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)

menta mea? *Marc. 5. v. 30.* Negantibus autem omnibus, dixit Petrus, & qui cum illo erant, *Luc. 8. v. 45.* discipuli sui: *Marc. 5. v. 31.* Præceptor, turbæ te comprimunt, & affligunt. *Luc. 8. v. 45.* Vides turbam comprimentem te, & dicis: Quis me tetigit? *Marc. 5. v. 31.* Et dixit Iesus: Tetigit me aliquis; nam ego novi virtutem de me exiisse. *Luc. 8. v. 46.* Et circumspiciebat videre eam, quæ hoc fecerat. *Marc. 5. v. 32.*

III. Videns autem mulier, quia non latuit: *Luc. 8. v. 47.* timens & tremens, sciens quòd factum esset in se, venit & procidit ante eum. *Marc. 5. v. 33.* Procidit ante pedes ejus, *Luc. 8. v. 47.* & dixit ei omnem veritatem: *Marc. 5. v. 33.* & ob quam causam tetigerit eum, indicavit coram omni populo: & quemadmodum confestim sanata sit. *Luc. 8. v. 47.* At Iesus conversus, & videns eam, dixit: Confide filia, fides tua te salvam fecit: *Matth. 9. v. 22.* vade in pace, *Marc. 5. v. 34.* *Luc. 8. v. 48.* & esto sana à plaga tua. *Marc. 5. v. 34.* Et salva facta est mulier ex illa hora. *Matth. 9. v. 22.*

Hydropicus.

MEDITATIO CXVI.

Christus hydropicum Sabbato curat.

I. Fa-

I. **F**actum est, cum intraret Iesus in domum cuiusdam principis Phariseorum sabbato manducare panem, & ipsi observabant eum. Et ecce homo quidam hydropticus erat ante illum. *Luc. 14. v. 1. & 2.*

II. Et respondens Iesus, dixit ad legisperitos, & Phariseos, dicens: Si licet sabbato curare? At illi tacuerunt. Ipse vero apprehensum sanavit eum, ac dimisit. *Luc. 14. v. 3. & 4.*

III. Et respondens ad illos, dixit: Cujus vestrum asinus aut bos in puteum cadet, & non continuo extrahet illum die sabbati? Et non poterant ad hæc respondere illi. *Luc. 14. v. 5. & 6.*

Leprosi.

MEDITATIO CXVII.

Leprosus tactu sanatur à Christo.

I. **C**um descendisset Iesus de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ. *Matth. 8. v. 1.* Et factum est, cum esset in una civitate, *Luc. 5. v. 12.* venit ad eum leprosus, *Marc. 1. v. 40.* vir plenus leprâ, & videns IESUM, *Luc. 5. v. 12.* adorabat eum, *Matth. 8. v. 2.* genu flexo, *Marc. 1. v. 40.* & proci-
dens in faciem, rogavit eum, dicens: Domine.